

E. 31. num. 35.

ZS.

DE

1748, 4

4

DOTALITIO VIDVARVM
SVMMORVM IN GERMANIA PRAESVLVM
PROTESTANTIVM.

IN ALMA IVLIA CAROLINA
AVCTORITATE ET CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS
IVRIDICAE

AD D. XXII. NOVEMBRIS MDCCXXXVIII.

IN IVLEO MAIORI
PRAESIDE
D. IOANNE FRIDERICO EISENHART

FACVLT. IVRIDIC. ADIVNCTO
DISPV TABIT
GEORGIVS FRIDERICVS FRIESELL
REVALIA LIVONVS.

HELMSTADII
LITTERIS DRIMBORNIANIS




150
BOTANICO MEDICINA
SALVATORI A. GEMMAE ET STALIN
PRAESES
C. M. L. V. 1500
DIVINE LIBERATIONARY

THEATRUM BOTANICO MEDICINA

DIGESTARIAT

GEORGIAE TIBERIOA HISTORIE



VIRO NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO
GEORGIO FRIDER. FRIESELL
DISSERTATIONIS HVIVS DEFENDENTI
PRAESTANTISSIMO
GRATVLATVR
GEORGIVS SAMVEL MADIHN
GVELPHERBYTANVS
IVRIVM STVDIOSVS OPPONENS.

Optimam materiam pertractas, VIR Nobilissime,
Amicorum dilectissime, in dissertatione Tua.
Maximus sane dubiis involuta est doctrina de do-
talitio. Satis a Viris doctissimis iam evictum est Iure
Germanico antiquo mulierem non obtulisse marito
suo dotem, sed mariti fuisse officium dotare vxorem.
Postea tamen hoc mutatum est, et vxores dotes, a Pa-
rentibus acceptas, maritis suis obtulerunt. Perquam
exiguae erant ab initio hae dotes oblatae. Postea
vero Germani opulentiores facti lautiores quoque
dotes dabant filiabus, easque compensabant dotalitio
mariti. Cognitum iam fuit hoc vocabulum in antiquis
temporibus Gallis, Italisch et Anglis, prout probatum dedit
Vir quondam illustris Heineccius in Iure Germanico
)(tom.

tom. I. §. 245. Legitur haec vox in charta Gorzienfi-
bus monachis iuxta Metin ciuitatem A. 761. data, &c in
Canonibus Concilii Meldensis. Apud Germanos inno-
tuit temporibus Imperatorum Hohenstaufforum. Scri-
pserunt de dotalitio Ioannes Petrus de Ludewig in dis-
sert. de dote mariti, et in dissert. de dote et donationi-
bus propter nuptias, et, qui primo loco ponendus est,
Nicolaus Hieronymus Gundling in eleganti opusculo
de emtione vxorum; quorum scrinia autem expilare
nec lubet nec licet. Sed ne nihil dixisse videar, pau-
ca adhuc adducam. Datur dotalitium in remunera-
tionem illatae dotis, et vix fieri solet, ut prius dos
offeratur ab vxore, quam ipsi prospiciatur dotalitio.
Varia hinc accepit nomina. Vocatur **Gegenver-
mächtniß**, **Biedergift**, **Gegensteuer**, **Gegenwe-
fung**. Constituitur dotalitium vel in allodio, vel in
feudo. Si prius cum dote Germanica convenit. Varii
ex hoc principio deduci possent effectus, si ratio tem-
poris permetteret. Confer, interim B. Heineccius l.
cit. Si in feudo constituitur, quantitas eius consistit
in quadruplicatis vñbris dotis. Haec pauca mihi,
dottedissimam Tuam dissertationem perlegenti, statim
in mentem venerunt. Officii mei est, ut TIBI, Ami-
corum optime, Cathedram ascendentem applaudam.
Agis initio dissertationis Tuae de nexu arctissimo inter
ecclesiam et statum ciuilem. Repte statuis, principes
Augustanae Confessioni addictos, qui Episcopatus
tenant, personam principis et episcopi, vi potesta-
tis territorialis sibi vindicare. Repte provocas ad in-
comparabilem ICtum et de Iurisprudentia ecclesiasti-
ca immortaliter meritum VIRVM magnificum Dom.
P E R T S C H I V M, Patronum, Praeceptorem

ac



ac Hospitem meum summa animi veneratione aetatem
colendum, quem hic honoris causa nominavi.

Virtutes TVAS, Amicissime FRIESEL, explorare conarer, nisi vires deficerent, nisi omnium consensus meritas TIBI laudes iam dudum parasset, et deinde nisi ipsa dissertatio eruditionem Tuam haud mediocrem testaretur, quae adeo firmissimis demonstrata est rationibus, ut fere nihil inueniam, cui contradicere possum, nisi in memoriam reuocarem, hoc et exercitii et desiderii, nec non honoris TVI gratia fieri. Sic paras, Doctissime Respondens, in arenam descendere, atque doctrinam in foecundissima Musarum sede, Alma scilicet Fridericana, aequa ac in perantiqua Ienensi, TIBI comparatam in famigera-tissima hac Iulia Carolina edere nunc studes.

Gratulor itaque TIBI eruditum specimen, toto-que pectore TIBI pludo, et quas humaniter in me contulisti dissentientis partes, eo lubentius subeo, quo magis cognitam habeo atque perspectam praeclaram animi TVI indolem. Quam fautricem in tribuendo ingenio naturam sis expertus multis jam documentis in consortium nostra satis comprobasti. Prosperet TE Deus fortuna et secundo vitae sine villa offensione curfu, adsit porro conatibus Tuis honestissimis, ita fiet, ut spem patriae de TE conceptam imposterum quoque non solum sustineas, sed etiam longe superes. Caeterum vale, Amicorum dilectissime, meque porro singulari Tuo amore amplecti nunquam desiste.

Scribebam Athenis propter Elmum d. XXI. Nov.

A. R. S. MDCCXLVIII.



CHILOSA PROGESSIO. IN TUDORIANA TUTTIOMI RISUCCIO.
INVENTIO HESTE MATERIA TUDOR. CANTUS CO
MUS. I. 1221.27. CHILOSA. 27. V. 1. 1221.
TUDOR. CANTUS CO. MUS. I. 1221.27. CHILOSA.
CANTUS CO. MUS. I. 1221.27. CHILOSA.
TUDOR. CANTUS CO. MUS. I. 1221.27. CHILOSA.

1221.27. CHILOSA.



DE
TOTALITIO VIDVARVM
SVMMORVM IN GERMANIA PRAESVLVM
PROTESTANTIVM.

§. I.



eminem arctissimum illud, quod statum ecclesiasticum inter & ciuilem viget, vinculum fugere potest, a quo vtriusque salus & incolumentas omnium ciuium communis, qui in societate quadam viuunt, pendet. Nolumus iam in causas huius nexus ecclesiae cum ciuitate inquirere, neque rationes repetere, quae homines tam ad internam quam externam religionem obligant, id quod instituti nostri ratio nunc haud patitur.

A

titur.

••••) 2 (••••

titur. Ecquis enim tam ignarus esset, vt non inteligeret tranquillitatem societatis humanae omnino requirere, vt ciues ad notitiam Dei eiusque perfectiōnum viuam non modo sibi acquirendam; verum etiam magis magisque amplificandam obstringantur. * Quare etiam factum est, vt summi rerumpublicarum rectores, de cultu Dei reēte constituendo prius consilia ceperint, quam de statu ciuili reēte adornando & formando cogitauerint. Ita Numa, inclytum iustitiae religionisque exemplar, teste LIVIO ** omnium primum rem ad multitudinem imperitam & illis saeculis rudem efficacissimam Deorum metum iniciendū esse, ratus est. Ita & alii rerumpublicarum conditores hoc fecerunt, immo inter omnes constat apud plerosque veteres populos munus sacerdotum cum regia dignitate coniunctum fuisse. Hinc VIRGILIVS ***

Rex Anius rex idem hominum Phoebique Sacerdos. Magna igitur haec, quae inter statum ecclesiae & ciuitatis est coniunctio, efficit, vt omnia quae ille patitur fata, hic quoque sentiat. Hinc factum est, vt quoties alter turbatus fuerit, alter etiam maximas senserit rerum vicissitudines, ita vt mutata illius forma huius quoque facies immutaretur. Quod, ne multis argumentis vramur, solius imperii Germanici exemplo facile comprobari potest. Semper enim simul ciuiis status turbatus fuit, quoties seu de libero sacrorum iure certatum fuit, seu religionis causa bella orta sunt, quae Germanico imperio communem semper attulerunt calamitatem. Nullus autem istorum motuum intestinorum aliis euentus fuit, quam vt status ciuitatis

3

tatis quoque immutaretur, quae mutatio nouas postea
leges nouaque iura produxit.

* PUFENDORFF. de habitu religionis ad statum. PERILL.
L. B. a WOLFF. Phil. mor. §. 10. PERILL L. B. &
KNIGGE de habitu religionis ad gentes.
** L. I. c. 19. *** Aen. L. III. v. 80.

§. II.

Duo autem potissimum Germania vidit tempora
notatu dignissima, quae in imperio hoc vastissimo
maximas excitarunt mutationes, nempe reformatio-
nis a B. Lutheru susceptae & belli tricennialis tempus.
Nemo certe est, quem vicissitudines latere possint,
quae utroque tempore acciderunt & quantopere status
Germaniae publicus illis immutatus fuerit, quod ef-
fecit, ut quoque noua iura statum ecclesiae & ciuita-
tis concernentia introducta sint. Liberavit pax reli-
giofa Augustae Vindelicorum Anno MDLV facta,
proceres imperii Augustanae confessioni addictos, a
iurisdictione ecclesiastica Episcoporum, cui antea sub-
iecti erant, ita ut ius dioecesanum & iurisdictione eccle-
siastica magistratum catholicorum contra Augustanae
confessionis status eorumque ciues suspensa fuerit. *
Confirmat iisdem ista pacificatio liberum religionis
exercitium, eosque ab omnibus turbis tutos reddi-
dit. ** In nouam autem formam status Germaniae
publicus, facta pace Monasterio Osnabrugensi, quae
fatale illud & perniciosum tricennale bellum secuta
est, mutatus fuit. Quod enim ad utrumque statum
& ecclesiasticum & ciuilem attinet, non solum reli-
gionis libertas, pace religiosa iam concessa, denuo

A 2

in

in illa confirmata atque stabilita est ; verum etiam omnibus nouis turbis summi pacificatores obuiam iuerunt. Quod autem ciuilem statum concerhit , non solum iurisdictionem territorialem & suffragiorum comitzialium ius in illa summis Germaniae ordinibus confirmatum videmus ; verum etiam alia iura partim denuo stabilita, *** partim introducta sunt , quae omnia recensere superfluum esset , cum in ipsis pacis huius memoranda tabulis satis expressa sint. **** Ast quoniam hisce omnibus dissidia, quae tum temporis de libero religionis exercitio inter caput & imperii ordines quosdam supremos orta sunt , ansam praebuerunt , satis appareat , quam magna sit , quae inter vtrumque est coniunctio , quam anxie quoque vtriusque salus & incolumitas seruanda sit , cum fieri non possit , quin altero turbato , alter quoque fortunam habeat aduersam , vterque vero aliam semper induat faciem.

* Religionsfriede zu Augspurg de A. 1555. §. 10. Damit auch obverührter beyderseits Religions Verwandte , so vielmehr in beständigen Frieden , und guter Sicherheit , gegen und beyeinander sizen und bleiben mögen , so soll die geistliche Jurisdiction (och den geistlichen Thürfürsten, Fürsten und Ständen, Collegien, Klöstern und Ordensleuten an ihren Renthen, Gült, Zins und Zehenden, weltlichen Lehnshäfthen , auch andern Rechten und Gerechtigkeiten wie obfcheit, unvergriffen) wieder der Augspurgischen Confession, Religion, Glauben, Bestellung der Ministerien, Kirchen Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, so sie aufgericht oder aufrichten möchten , bis zu endlicher Vergleichung der Religion nicht exerciret, gebraucht, oder genützt werden, sondern derselbigen Religion, Glauben, Kirchen Gebräuchen, Ordnungen, Ceremonien und Bestellung der Ministerien wie hiervon nachfolgends ein besonderer Articul gesetzt, ihren Gang lassen, und kein Hinderniß oder Eintrag dadurch beschehen und also hierauf wie obgemeldt, bis zu endlicher Christlic-

Christlicher Vergleichung der Religion, die geistliche jurisdiction ruhen, eingekelst und suspendirt seyn und bleiben.

** §. 15. So sollen die Kayserl. Majestat Wir, auch Churfürsten, Fürsten und Stände des h. Reichs keinen Stand des Reichs von wegen der Augspurgischen Religion und Glaubens halber, mit der That gewaltiger Weise überziehen, beschädigen, vergewaltigen oder in andere Wege, wieder sein Consciens, Gewissen und Willen von dieser Augspurgischen Confessions Religion, Glauben, Kirchen Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, so sie aufgerichtet, oder nochmals aufrichten möchten, in ihren Fürsthümen, Landen und Herrschaften, triegen, oder durch Mandat oder in einiger anderer Gestalt beschweren oder verachten, sondern bey solcher Religion, Glauben, Kirchen Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, auch ihren Haab, und Güteru, Liegend oder Fahrend, Land, Leut, Herrschaften, Obrigkeit, Herrlichkeiten und Gerechtigkeit ruhiglich und friedlich bleiben lassen, und soll die freitige Religion nichts anders, denn durch Christliche, Freundliche, Friedliche, Mittel und Wege, zu einhelligem Christlichem Verstand und Vergleichung gebracht werden.

*** i. p. o. A. V. §. 1. *Transactio Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, Passavii inita, & hanc Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto secuta Pax Religionis, prout ea Anno millesimo sexagesimo sexto Augustae Vindelicorum, & post in diuersis sacri Romani Imperii comitiis vniuersalibus confirmata fuit, in omnibus suis capitulis, unanimi Imperatoris, Electorum, Principum & statuum virtusque religionis consensu initis ac conclusis, rata habeatur, sancte que & inuolabiliter seruetur.*

**** i. p. o. A. VIII. §. 2. *gaudeant.*

§. III.

Mutationibus ex turbido isto Germaniae statu ortis, merito ea annumeranda esse iudicamus, quae ratione feudorum imperii ecclesiasticorum acciderunt. Constat autem inter omnes, Episcopos aliosque praesules immediatos, principatus suos ac regalia ab im-

A 3
perato-

6

peratore lege fiduciae recognoscere. * Horum vero feudorum imperii ecclesiasticorum multa posteris temporibus mutato in Germania religionis statu, vel in ducatus vel in principatus immutata sunt, alia naturam feudorum imperii ecclesiasticorum immediatorum retinuerunt, quorum praefuses inter S. R. I. ordines summos locum habent. Gaudent hi itaque diuersis iuribus atque praerogatiis, quae illis legibus imperii concessae atque confirmatae sunt, ** veluti principis ecclesiastici titulo atque praerogatiua dignitati episcopali adhaerente. Gaudent iure matrimoniorum neque conditio ecclesiastica illis obstat, quo minus in electoratus & principatus, qui iure successionis ad eos deuoluuntur, succedere queant, quum ordinibus sacris nec imbuti sint, nec ab Episcopis fidei catholicae additis clericorum numero aestimentur, libertate tamen resignandi hoc in casu illis relicta. *** Gaudent ad exemplum catholicorum iurisdictione territoriali, quum personam principis & Episcopi simul sustineant, seu, eos sibi illam non vi dignitatis episcopalis sed vi potestatis territorialis vindicare, rectius dixeris. **** Ex his autem satis appareat, quam diuersa sit conditio summorum in Germania praesulum euangelicorum a catholicorum statu, quae conditio diuersitas varia produxit iura, illis prae his praecipua, ita ut inde nouae orientur quaestiones, quae nouis disputationibus occasionem dederunt.

* ITTER de feudis imperii C. IIII. §. 4.

** I. P. O. A. V. §. 22. De titulis principum ecclesiasticorum ex Auguſtana Confessione ita conuenit, vt absque tamen praesudicio status & dignitatis titulis Electorum aut Poſtulato-

rum

rum in Archiepiscopum, Episcopum, Abbatem, Praepos-
tum insigniantur. Sessionem autem in scanno inter Ecclesi-
sticos & seculares intermedio & transuerso capiant. De
episcopatibus Martisburgenfi & Numburgenfi controuerzia
est, an feudis imperii ecclesiasticis immediatis accensendi
fint? quam copiosius recenset ILL. MOSERVUS in dem
teutschen Staatsrecht P. XI. L. III. c. 29. §. 14.

*** IDEM l. c. 33. §. 14.

**** Vid. VIR MAGNIFICVS ET ILLVSTRIS, DN.
FERTSCHIVS in element. iur. canon. P. I. §. 250. seqv.

§. IIII.

Gaudent itaque summi praefules euangelici im-
mediati omnibus iuribus atque praerogatiis, quae
reliquis S. R. I. ordinibus competunt, immo iis, quae
prae catholicis praecipua habent, merito hoc quoque
adscribendum est, quod libera matrimonia iniire
queant. Quum enim secundum Augustanae Confes-
sionis doctrinam libertas matrimonia ineundi nemini
prohibenda sit, iniustum sane esse viderur, Episco-
pos protestantes ab illis arceri. Licer etiam in qui-
busdam capitulationibus Episcoporum olim cautum
fuerit, ne vxores ducerent, ita tamen hoc accipien-
dum esse puto, vt prius dignitatem episcopalem re-
signarent, quam matrimonium iniirent. Sed hodie
haec quaestio, an talis resignatio necessaria sit? otio-
sa est, cum exemplis abundemus quae contrarium
testantur, quod Episcopi euangelici, licet sibi vxo-
res adiunixerint, nihilominus tamen episcopatum re-
tinuerint. * Hisce enim matrimoniis pax Westphali-
ca nulla ratione obest, sed potius ex eo tempore re-
nunciations in hoc casu a quibusdam Episcopis euan-
gelicis

gelicis factae, a mero eorum arbitrio pependerunt, cum cuilibet iuri pro se introducto renunciare licet. Porro etiam ex hisce matrimonii episcopatui nil danni metuendum est, quia ideo redditus Episcopi non augentur, neque eius vxor de administratione regiminis participat, ipsi autem praefules spondere tenentur, se dignitates beneficia, suscepitos principatus ecclesiasticos nequaqueam hereditario iure possesuros esse. ** Quae cum ita se habeant, noua quoque ex eo tempore, ex quo Episcopi protestantes matrimonia inire coeperunt, orta est quaestio, an etiam ex bonis episcopatus vxoribus suis dotalitium constituerem possint ?

* Exempla huius rei exhibet ILL. MOSER. l. c. c. 30.

** I. P. O. A. V. §. 17.

§. V.

Est autem dotalitium vſusfructus in re feudalī, vel certus reditus, aut census viduae constitutus, vel constituendus, ob dotem illatam. * Pertinet illud in primis ad debita feudalia, cum dotem siue vere illatam, siue promissam p̄aeponat. ** Originem eius a priscis Germaniae ac Galliae populis repetendam esse, leges veterum Germanorum dotis Romanae ignororum satis testantur. *** Quemadmodum vero in feudis mediatis locum habet, ita etiam in feudis imperii obtinet. **** Immo antiquissimum eius inter illustres personas vsum varia Germanorum illustrium exempla illustrant. ***** Non solum vero illibribus feminis in bonis allodialibus; verum etiam in horum defectu in feudalibus dotalitium constitutum fuit.

Quare

Quare etiam hodie dotalitia illustrium viduarum, vel pactis familiarum, vel etiam pactis dotalibus, aut testamentis maritorum, aut ab agnatis successoribus constituantur, ita, ut illis vel certa praefectura cum iurisdictione superiori vel inferiori assignetur, vel loco huius certi redditus anni prout pactis prouisum est, dentur. ***** Non semper autem requiritur, ut dotalitium a marito constituatur, sed ab alio quoque territorii possessore hoc fieri potest.

* HORNIVS in *iurisprudent. feudal. C. XXI. §. 7.*

** EXCELL. WOLFF. in *Element. iur. feud. C. XV. §. 6.*

*** IVL. CAESAR de B. G. L. VI. *Viri quantas pecunias a uxori dotis nomine acceperunt, tum ex suis bonis a estimacione facta, cum dotibus communicant.* Huius omnis pecuniac coniunctim ratio habetur fructusque seruantur, uter eorum vita superauerit, ad eum pars virtusque cum fructibus superiorum temporum peruenit. Vid. etiam TACITVS de M. G. c. 18. Dotem non uxori marito, sed uxori maritus avert. Conf. I. F. Alem. c. 64. ibique SCHILTERVS I. F. Sax. c. 31.

**** ITTER. l. c. c. XVIII. §. 11.

***** SAGITTAR. in *Histor. Anhalt. §. 64.* MYLERVS AE EHRENBACH in *gamolog. person. illustr. C. X. §. 5.*

***** LVDOLPH de *iur. seminar. illustr. S. II. M. II. §. 5. n. 30.*

§. VI.

De feudis imperii saecularibus nullum itaque dubium est, quin in illis haec dotalitii constitutio locum habere possit. Reliquum est, ut quoque disquiramus, an hoc pariter de feudis imperii ecclesiasticis affirmari queat. Si tum ecclesiasticorum tum saecularium feudorum naturam consideramus, hoc omnino

B

conce-

concedendum esse videtur, cum id, quod in his fieri potest, in illis quoque admitti debeat. Sed quis est, quem praefulum summorum catholicae religioni ad-dictorum conditio & virtus regula: das Stift leidet kein Leibgeding, latere possint? Arcet enim a matrimonii ecclesiae Romanae lex Episcopos arque praesules ordinibus sacris initiatos, eosque vxoribus & dulci vitae consortio per omnem vitam carere iubet. Quum enim in ordinum susceptione se ad caelibatum obstrin-gant, facile apparet, non opus esse longiori diquisti-tione, an in illis feudis imperii ecclesiasticis immedia-tis, quae ab Episcopis catholicis possidentur, dotali-tum locum habere possit?

* C. 4. X. de cleric. coniugat.

§. VII.

Longe aliter autem se res habet cum Episcopis euangelicis, quibus nulla lex obstat, quo minus nuptias celebrare queant, qua etiam in re eorum conditio a conditione praefulum catholicorum maxime diuersa est. Quemadmodum enim secundum doctrinam euangeli-corum nulli immo nec clericis inferioribus matrimo-nia prohibita sunt, ita nec Episcopi excepti sunt, qui-bus cum libertate coniugia contrahendi ministris ec-clesiae restituta, idem concessum esse, dicendum est. Non autem hic nobis sermo est de paelatis & Ab-batibus, qui in capitulo vel coenobio vitam transi-gunt, & quibus lege impositum est, ut vel vitam cae-libem agant, vel prius resignent, quam matrimo-nium ineant; sed de immediatis, qui episcopatus suos tanquam feuda imperii tenent. Hi itaque libertate matri-

matrimonia celebrandi gaudent, quod neque secundum diuinā neque humāna iura interdici potest. Quae cum ita se habeant, non dubitamus, quin illis quoque omnia iura, quae cum iure matrimoniorū coniuncta sunt, competant, velut ius dotem exigendi, p̄cta dotalia constituendi, viduis suis dotalitium assignandi. Non enim videmus, quare eorum matrimonia a natura matrimoniorū priuatorum hominum, quibus ista iura concessa sunt, diuersa esse debant. Quodsi igitur his haec omnia competit, quare non summis imperii praelatis euangelicis, quorum episcopatus non pura bona ecclesiastica sunt, sed iusti quoque principatus, vt infra pluribus ostendemus. Immo cum in quibusdam capitulis canonico-rum protestantium canonici libere non solum matrimonium ineant; verum etiam eorum viduae atque liberi ad annum gratiae admittantur, maiori certe libertate & iure ratione dotalitii Episcopi protestantes gaudere debent.

§. VIII.

Quae de libertate praefulsum summorum Euangelicorum matrimonia ineundi protulimus nondum adeo certa sunt, vt nullam plane exceptionem admittant. Licet Augustanae confessionis doctrinae secundum normam sacrae scripturae neminem a coniugali societate arceant; multa tamen adduci possunt exempla, ex quibus apparet, a capitulis protestantibus saepius obseruatū fuisse, vt Episcopos suos ad caelitatum obligarint, & hac in re instituta pontificia secuti sint. In his itaque episcopatibus vbi singulari

capitulatione ad caelibem agendam vitam praeſules adſtriguntur, regula ſupra dicta locum habere videatur. Ita primi Epifcopi Bremenſes euangelici perpetuum agere caelibatum promittebant, quod ab aliis quoque factum eſſe inuenimus. * Quodſi igitur de quaeftione : an praeſules euangelici viduis ſuis dotalium ex bonis epifcopatus ſui conſtituere poſſint ? reſtaſt ſententiam ferre velimus , inprimis eo reſpiendiūm eſſe arbitramur , an Epifcopo euangelico vi capitulationis initiae vxorem ducere liceat ? Res autem exemplis non caret, quae contrarium teſtantur, quod ſcilicet Epifcopi protestantes nihilominus matrimonia inierint, etiamsi antea ſe ab illis abſtinere velle, poμiſerint. ** Cum enim matrimonium a Deo inſtitutum ſit, reſte queritur : an quis ita obligari poſſit, vt illi plane renunciet ? Hinc verba capitulationum ita interpretanda eſſe censemuſ, vt Epifcopus euangelicus, ſi matrimonium contrahere vult, conſenſum capituli requirat, vel epifcopatum resignet. Interea hac diſtinctiōne hodie haud opus eſſe putamus, cum exemplis abundemus, quae teſtantur, Epifcopos, licet matrimonia inierint, nihilominus dignitatē ſuam atque munus retinuiffe. ***

* ILL. MO SERVS l. c. L. 3. c. 30.

** IDEM l. c. *** IDEM eodem.

§. VIII.

Non defuere autem viri, qui contrarium ſententiam defenderunt, non competere ſcilicet Epifcopis Auguſtanam confeſſionem profitentibus, facultatem, uxoribus ſuis dotalium conſtituendi, illa inprimis ratione

ratione moti, quod facultas vxorem habendi naturam feudi non immutet, quod intuitu ecclesiae Episcopus euangelicus accipit. Est inter eos potissimum HORNIVS, * qui varia hac de re dubia mouit, in primis insolens hucusque fuisse contendit, feuda eiusmodi dotalitiis obnoxia esse, quorum praestatio moribus nititur. Hinc argumentatur, successorem eiusmodi feudi nulla obligatione ad dotalitii praestationem teneri. Concedit tamen eius constitutionem, si consensu capituli aliisque requisitis necessariis facta, & dos in emolumenatum episcopatus versa sit, tunc eam viduam iure a successore repetrere posse, addit. Pro sententia huius viri militat ILL. MOSERVVS, ** simulque statuit, naturam episcopatum euangelicorum haud esse immutatam, neque imperii feudis ecclesiasticis episcopatus euangelicos, exemplo episcopatum pontificiorum, esse annumerandos. Porro argumentatur, quod ideo non sequeretur, ut Episcopo euangelico ius episcopati onus imponendi, quale dotalitium est, competeteret, quia ei libertas matrimonium ineundi concessa sit. Ad quam confirmandam sententiam ad capitulationem perpetuam Osnabrugensem Norimbergae A. MDCL. d. XVIII. Iulii factam prouocat, ybi haec leguntur: Wann ein Herzog zu Braunschweig Bischof wäre und heyrachten wollte, daß solches ohne Beschwehrung des Stifts geschehen und den Ständen kein Leibgeding oder andres dergleichen zugemuhet werden sollte. Pergit itaque, ut etiam de aliis episcopatibus hoc dicendum sit, ita ut quidem praesuli eorum vxorem ducere liceat, istius tamen successor ad praestatio-

stationem dotalitii non stringatur, ne sine necessitate episcopatus oneretur. Vtriusque vero sententia eoredit, vt semper necessarius sit capituli consensus, si Episcopus vxori suae dotalitium constituere velit, neque ei permisum sit, territorium, in quod nullum ius hereditarium habet, illo grauare.

* in jurisprud. feud. C. XXI. §. 10.

** l. c. c. 30. §. 77. verba ILLVSTRIS VIRI sunt: Herr Estor meint: Ein Evangelischer Bischof könne seiner Gemahlin ein Wittumb aus dem Bisthum vernachen, weil dergleiche Bischömer ordentliche Fürstenthümer und Reichslehen seyen, deren Besitzern dieses Recht zukomme, auch denen Evangelischen Bischöfen erlaubt seyn zu heyrathen. Gleichwie aber das erste nicht erweislich, vielmehr erinnerter massen die Evangelischen Stifter die Natur von Stiftern keinesweges verloren haben, dieselbe auch nicht mehr Reichslehnshahr seynd, als catholische Stifter, und endlich aus der Erlaubniß zu heyrathen die Macht ein Land woran man kein Erbrecht hat, und einem titulo singulari succedenden Nachfolger zu beschweren meines Erwesens gar nicht folget: so könnte ich es auch nicht mit Herrn Estor halten, wenn gleich bey Osnabrück diesfalls kein besondres Patrum vorhanden wäre und ein Bischof zu Lübeck aus gleichem Pacto nicht einmahl sich vermählen solle. Und wenn gleich mit dem lezteren dispensaret wird, stehet es doch lediglich bey dem Domcapitel, sich gleich, dem zu Osnabrück auszubedingen, daß das Stift nicht dadurch beschwert werde, wie es auch ganz gewiß thun wird.

§. X.

Quodsi itaque hac in re rectam ferre sententiam volumus, in primis investigandum est, an hodierni episcopatus euangelici immediati naturam feudorum imperii amiserint, an vero feudis imperii annumerandi sint? ex quo posteriori sequeretur, vt Episcopus euangelicus vxori suae dotalitium ex bonis episcopatus

15

tus constituere possit & ad illud exsoluendum sue-
cessorem eius in episcopatu obligare. Recte praela-
tos protestantes ratione territorii tanquam principes
& status imperii considerandos atque episcopatus
vera esse feuda imperii, satis indicant pacificationis
Westphalicae verba, * quae de Episcopis euangelicis
haec tradunt: *quodsi intra annum postulationis suae
fidem fecerint, Et iuramenta regalibus feudis consueta
praefare parati sint, ad comitia imperii euocari ibique
iure suffragii gaudere debeant.* Ex his autem clare
patet episcopatus euangelicos simul iustos esse princi-
patus, & a possessoribus suis feudorum imperii lege
teneri, iisque personis ecclesiasticis isto titulo iura
saecularia die Weltlichkeit, weltliche Herrlichkeit
vulgo dicta, conferri. ** Adeoque non de regalibus
solum & iuribus sed simul quoque de territorio inue-
stiuntur, secundum A. V. §. 21. I. P. O. hinc eo-
rum feuda non feuda regalium, sed vera feuda rega-
lia dicenda sunt. Concernunt autem ista verba tan-
tum episcopatum Lubencensem & Osnabrugensem,
quia caeteri Archiepiscopatus & episcopatus a prote-
stantibus occupati diu iam qualitatem saecularem in-
duerunt, & vt saeculares principatus feudorum im-
perii lege a possessoribus suis tenentur, ideoque ipsi
etiam in scanno principum saecularium eorum intui-
tu sessionem & suffragium habent. Episcopatus
euangelicos feudis imperii immediatis accensendos esse
ex eo quoque apparet, quod secundum I. P. O. ***
electi aut postulati in Archiepiscopos vel Episcopos A.
C. addicti vltra taxae ordinariae summam insuper di-
midium eiusdem pro infeudatione pendere teneantur,

quae



quae erogationes non amplius quidem sub titulo taxae, sed magis honorarii, vulgo Lehn-Regalien erogantur. *** Iam cum principes ecclesiastici protestantes paribus iuribus gaudeant ac saeculares ratione territoriorum suorum, facile intelligitur, iis etiam ius vxoribus suis dotalitium constituendi haud esse denegandum. Inter onera vero, quae feudis imperii incumbunt, seu potius territoriis principum immediatis annexa sunt, quoque est dotalitium, quod tanquam onus reale feudi successor declinare non potest. Quum igitur capitulum, dum Episcopum eligit, cui postea principatus ecclesiasticus & cum eo iura varia saecularia illi adhaerentia & regalia ab imperatore conferuntur, totam vniuersitatem praeferset, hinc etiam is, qui electionis titulo ad episcopatum peruenit, omnia principatui incumbentia onera agnoscere & in se suscipere tenetur. **** Hinc nullum quoque dubium est, quin successor in episcopatu euangelico haec viduae antecessoris sui praestare obstrictus sit, cum tanquam onus territorii quod electionis titulo in eum translatum est, considerandum sit.

* I. P. O. A. V. §. 21.

** ILL. BOEHMERVS in *iur. eccles. protest.* L. III. t. 20. §.

93. ITTERVS de *feud. imper.* C. I. §. 19.

*** I. P. O. l. c.

**** SCHWEDERVS in *introd. in ius publ.* S. I. c. 9. §. 7.

***** ITTERVS l. c. c. XVIII. §. 10. seq.

§. XI.

Quemadmodum igitur successor ad debita ab antecessore suo feudo relicta soluenda obligatus est, ita etiam

etiam dotalitii praestationem recusare nequit, quod inter necessaria feudi debita primarium locum occupat. His positis porro dispiciendum est, an ex facultate vxorem ducendi Episcopis euangelicis permissa, ius ex bonis ecclesiasticis dotalitium constituendi fluat? supra iam monuimus, vsum dotalitii esse antiquissimum, eumque inter Germanos semper obseruatum fuisse. Ratio autem constituti dotalitii duplex est, nimirum ut vxor mortuo marito tantumdem habeat, quantum ipsi dedit, quod in primis de dotalitio viduarum priuatae fortis hominum dicendum est. Altera in eo posita est, ut vxori solatii loco, atque in honorem transacti matrimonii, & vietus alimentique causa constituatur, quod merito de viduis illustrium personarum statuendum esse arbitramur. Ratio haec eo magis moribus antiquis Germaniae consentanea est, quo certius est, priscos Germanos dotem ignorasse, dotalitium autem apud eos in usu fuisse. * Testatur hoc compilator Speculi suecici. ** Verissima quoque ratio haec nobis esse videtur, ut splendor familiae conseruetur, atque vidua illustris dignam vitae sustentationem defuncto marito habeat. Quare recte statuendum esse putamus, cum iure matrimonium in eundi praelatis euangelicis concessio, simul illis ius viduis suis dotalitium constituendi competere, quod ex illo prono alueo fluit. Quodsi itaque capitulum in matrimonium consenserit, simulac in dotalitii constitutionem consensisse praesumitur, quippe quod cum illo coniunctum est & ad onera episcopatus pertinet.

* A. 209. Geit ein Mann seinem Weib fahrend Gute zu Heimsteuer oder anders au fahrend Gute, daß mag er ihy niinner anverhengen
C

Sei, dieweil er ander Gute hat; Et in fine. Dass ist daven
gesetzet, dass die Frauen um Gut nicht arbeiten müssen, als
die Mann, und auch darumb dass is den Frau wirs anstadt,
dass sey sollen nach dem Altmusen gen denn den Mannen.

§. XII.

Noua oritur quaestio, an ad hoc constituendum
dotalitium Episcopus euangelicus consensu capituli
opus habeat? Affirmat STRYCKIUS * & alii cum
eo, qui non nisi consentiente capitulo Episcopum
euangelium tale dotalitium constituere posse contendunt.
Neque ista sententia argumentis plane desti-
tuta est, siquidem Episcopi euangelici in capitulatio-
nibus suis se obstringere solent, vt sine capituli con-
senstu nihil agere velint, quod pluribus exemplis pro-
bari potest. Ita in capitulatione Episcopi Lubecensis
legitur: ** zum 10. sollen Seine liebden keine wich-
tige Sachen, so causae maiores genannt werden, und
den Stift und Domcapitol zugleich oder absonder-
lich betreffen, ohne besondern Naht, Vorwissen und
freywillige Beliebung des Domcapituls, tractiren,
handeln und schliessen. Requiri igitur hic etiam vi-
detur capituli consensus, quo magis dotalitii constitu-
tio inter onera locum habet, quae episcopatu*m* impo-
ni, eumque grauare possunt. At quoniam, vt in §.
superiori X. dictum est, episcopatus euangelici merito
ad classem fetidorum imperii pertinent, satis appa-
ret, dotalitium etiam ex bonis eorum constitui posse,
quod ex moribus Germaniae ex omnibus feudis
maioribus constitui solet. Iustum itaque omnino est,
vt ex hac ratione quoque viduis summorum praesu-
lum euangelicorum dotalitium competat, cum hac in
re cum aliis principum Germaniae vxoribus paria iura
habeant.

habent. Immo iam tacitus adesse capituli consensus praesumitur, siquidem concessa facultate matrimonium ineundi, omnia quoque iura, quae cum illa coniuncta sunt, concessa esse intelliguntur, ut supra §. XI. monuimus. Ad alia itaque negotia ista verba solum referenda, nec ad dotalitii constitutionem restringenda esse arbitramur. Taceo exempla, ex quibus patet, viduis ipsis dotalitium semper saluum fuisse, licet nullo antecedente capituli consensu constitutum fuerit. ***

* in exam. iur. feud. c. §. HORNIVS in iurispr. feud. I. c.

** A. X.

*** ILL. MOSERVUS I. c. c. 30. §. 69. vbi de administratore Archiepiscopatus Magdeburgensis CHRISTIANO WILHELMO, haec tradit: Als nun dieser Administrator sich darauf U. 1614. vermählten wollte, resignirte er; er wurde aber, (wie es ohne Zweifel vorhin schon unterbauter ware,) von neuem postulirt, doch musste er eine neue Capitulation eingehen. Zimgleichen musste er und seine Gemahlin sich endlich verpflichten, wann er nicht mehr am Erzstift sondern außerhalb seyn würde, daß alsdann auch die Gemahlin denselben folgen und weiter nicht im Erzstift sich aufhalten, noch dessen Einkünften in einigerley Weg gebrauchen und geniesen sollte, wiewohl doch seine Gemahlin hernach das Amt Biuna lange Zeit detinire.

§. XIII.

Ad nostram confirmandam sententiam plurimum quoque facit, quod tale dotalitium non in compensationem dotis illatae, sed in dignam viduae sustentationem constituatur. Hinc quoque sequitur, ut dotalitia illustrium viduarum ex earum conditione aestimanda & sorte dotalitorum priuatorum hominum exempta sint. Ob hanc igitur diuersam rationem illustrium ac priuatae fortis personarum, dotalitium nihilominus debetur, licet nulla ab vxore dos illata, nec

C 2

in

in principatum versa sit. Cum his mores Germaniae conueniunt, vt pluribus ostendit, MYLERVS AB EHRENBACH. * Quamuis igitur in feudis priuatum hominum res ita se habeat, vt ex illis non aliter dotalitium debeatur, quam probata dotis illatione; maior tamen concessa est illustribus personis potestas, vt etiam citra dotis respectum viduae illustri dotalitium constitui possit, quo post maritorum suorum obitum digne & pro eorum conditione se exhibere queant. Quae cum ita se habeant, hoc etiam de viduis praesulum protestantium summorum statuendum esse iudicamus, quibus ex his rationibus allatis, quod praelati protestantes ratione territoriorum suorum tanquam principes & status imperii consideren-
tur, dotalitium vero moribus Germaniae ex omnibus feudis regalibus debeatur, atque id non in compensationem dotis, sed dignam viduae sustentationem, omnino dotalitium debetur, neque opus est consensu capituli, cum haec res moribus & legibus Germaniae iam satis sit determinata.

* in Gamolog. illustr. per sonar. C. XIII. §. 8.

§. XIV.

Potest quidem obiici hoc in casu, dotis illationem & versionem eius in episcoparum probandam esse a vidua Episcopi, si a successore in episcopatum praefarsi debeat dotalitium. Sed ex ratione iam allata satis apparet, quod viduae Episcopi euangelici semper dotalitium debeatur, siue dotem intulerit eaque in episcopatum versa fuerit, siue indotata ducta sit. Potest enim maritus sciens, vxorem dote carere, nihilominus ei dota-

totalitium constituere, quo casu dotis dationem remis-
sisse, ac ipsam dotem donasse videtur. Quodsi vero
vidua illustris inops sit, iam per se patet, successo-
rem ad eam pro dignitate alendam, esse obstrictum.
Hoc intuitu viduae Episcopi euangelici totalitium
semper debetur, quia nec in aliis feudis regalibus ver-
sio dotis in feudum probanda est.

* ILL. BÖHMERVS L. III. t. 3. Iur. eccl. Profess.

§. XV.

Sive hoc totalitium viduarum summorum praef-
sulum protestantium vel certis praediis, vel in quanti-
tate pecunaria consistat, semper secundum dignitatem
mariti determinandum est, siquidem matrimonii vesti-
gia adhuc in vidua durare censentur. Caeterum circa
totalitii genus eadem iuris sunt, quae de totalitiis in
genere Doctores tradunt. Ita vidua Episcopi euange-
lici a cautione vissfructuaria immunis est, quoniam in
totalitio vissfructus germanicus est, quem dominii vti-
lis speciem esse scimus, nullus autem dominus istam
cautionem praefstat. * Quodsi etiam territorialis iuris-
dictio viduae concessa esset, non dubitandum est, quin
ipso lucra, prouentus, iura praesentandi, puniendi, alia-
que iura iurisdictioni adhaerentia competenter. **
Tandem quod ad modum finiendi hoc totalitium at-
tinget, idem de eo dicendum est, quod communiter
Doctores de illo afferere solent.

* EXCEL. DEINLINVS de Vidua vasalli a cautione vissfructua-
ria immuni.

** MYLER. AB EHRENBACH J.c. c. XI. COCCEVS in iur.
publ. C. XXVIII. §. 10. seq.

*** IDEM C. XIII.

T A N T V M .

N O B I -



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
RESPONDENTI

S. P. D.

D. IO. FRIDERICVS EISENHART.

Praeclarum hodie industridre Tuae Specimen edis, cum
in arenam disputatoriam descendis, quo egregios, quos
in iuris studio fecisti, progressus publice ostendas ac omnibus
probare queas. Non solum enim in celeberrimo illo,
quod Ienae floret, bonarum artium emporio studiorum
fundamenta bonis auspiciis iecisti; verum etiam ex quo
in Academia Iulia Carolina studiorum causa commoratus
es, ea ita continuasti, ut non dubitandum sit, quin
industriae Tuae fructus uberrime olim in Te sint redundaturi.
Non potui, quin Tu desiderio, Amice ornatiſſime, ſatisfacerem, cum mihi animum Tuum con-
flictum eruditum ſubeundi, declarares, quo maius me-
um in omnes bonarum litterarum cultores eft officium.
Quae cum ita ſint ex animo Tibi de hoc ſpecimine gra-
tulor, Deumque O. M. imploro, vt Te ſemper ſoſpitem
ac ſaluum patriae Tuae parentibusque ſervare veſit, Ti-
bique omnia ex voto fluere iubeat, immo vera Virtutis
& honoris praemia ſtudiis & bonis artibus proposita
quam cumulatissime elargiatur. Vale mihi que in poſte-
rum faue. Dabam e museo d. XXII. Nouembris
Anno MDCCXXXVIII.

3.

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE
DOMINO RESPONDENTI,
AMICO SVO SVAVISSIMO
S. P. D.
CHRISTIANVS FRIDERICVS JAEGER.

Si mos congratulandi non bene merentibus & plane stupidis etiam invaluit, magis merentibus rectius adplauditur. Horum TV classi inferendus es amice perquam-dilecte. Comphiles bodie cathedram ascendere non erubescunt, qui Prisciano satis nondum fecere. TV majorem literis elegantioribus operam recte navis. Plurimi dissertationum splendidum AVCTORIS nomen inferi curant, quamvis ignorantium castra, pectorum suffragio, dudum secuti. TV vero ridiculam hanc vanitatem adspersnatus, respondentem sistis, non auctorem. Multi denique materias infinitis eruditiorum laboribus prope exantlatas sibi ventilandas sumunt, pergravem lectoribus ac audientibus nauseam creantes. TV sub auspiciis eruditii praesidis dogma tractas eruditum, nec vulgare. Sed quid opus est ex longinquo TVAS repetere laudes? cum res ipsa de TE judicium unicuique suggestat. Ulterius persta legendō, meditando, recte vivendo, sic HONOR & VIRTUS efficient, ut eruditorum vulgus, longis, post TE parafangis relinquas. Vale ac fave. Dab. Helmstadii die 20. Novembr. anno MDCCXLVIII.

D

Fahr

Fahr fort, gelehrter Freund, den ebeln Fleiß zu zeigen,
Und mach der Tugend Siz noch ferner Dir zu eigen,
Wiz das die Ehre dann die süßen Früchte bringt.
Und andre Dein Ruhm zu gleichen Thaten zwingt.

Mit diesen wenigen Zeilen wollte sich ein
geneigtes Andenken seines redeschaf-
fenen Freundes ergebenst ausbitten

Gothard Ludewig Rhoden

d. R. B.
aus Curland.



Klemmstadt, Diss., 1748-49

ULB Halle

005 350 832

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

#13

Farbkarte

Blue

Green

Cyan

Centimetres



ZS.
C.31. num. 35.
DE 1748, 4 4
DOTALITIO VIDVARVM
SVMMORVM IN GERMANIA PRAESVLVM
PROTESTANTIVM.

IN ALMA IVLIA CAROLINA
AVCTORITATE ET CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS
IVRIDICAE
AD D. XXII. NOVEMBRIS MDCCXXXVIII.
IN IVLEO MAIORI
PRAESIDE
D. JOANNE FRIDERICO EISENHART
FACVLT. IVRIDIC. ADIVNCTO
DISPV TABIT
GEORGIVS FRIDERICVS FRIESELL
REVALIA LIVONVS.

HELMSTADII
LITTERIS DRIMBORNIANIS

